



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Municipibus suis injurius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A** tiunt morituros, quasi letantes Deo gratias agere videatur, quod ad eum, cujus ministri sunt, migrationem parent. Addit homines quosdam, cum ipsi mortem expavescant, Cygnos quoque falso criminari cantusque huiusmodi dicere doloris argumentum esse, quem ex adventante morte conceperint. Sedenim, haudquaquam animadvertunt, in omni volatilium genere nullam esse avem, quæ vel in esuritione, vel in rigore, aut alio quopiam incōmodo, quo se affectam sentiat, emoduletur, canit & querimoniam esse fabulantur. Sibi vero videri neque quidem aves has, neq; Cygnos præ dolore canere, sed quia Phœbo sacræ sunt, eaq; lætitiæ concitata, forsan & divinatione prædita, alterius vitæ bona præfagiunt. Hinc M. Tullius Tusculanis quæstionibus *Cygnos ait non sine causa Apollini dedicatos esse, sed quod ab eo divinationem habere videantur: quia prævidentes quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriantur.* Omnino autem quod de morte narratur, falsis aliquot experimentis compertū est, tametsi Lucretius Poëta pervulgatam tangit opinionem, cum eos nece detortos, ac anxie cruciatos, liquidam lugubri voce querelam attollere ait ex vallibus Heliconis. In quo illud etiam animadvertendum, ad hoc & alios respexisse, cum Poëtas Cygni symbolo nuncuparunt.

*Quo tempore canas Cygnus potissimum. Unde Lucianus in Cygno, eos afflores Phœbi vocat. Erat. Græc. Latine upupa. Cicero Tuscul. lib. 1.*

POETA. CAP. II.

**N**Am veluti Cygni senio confecti argutioribus, ob gutturis exilitatem organis affectis suaviorem simul & vocaliorem emittunt vocem ita etiam boni Poætæ, quo per ætatem magis profecerunt, scribere itidem solent elegantius & sapientius. Sic Oedipus Coloneus opus ea conscribens ætate, qua propter senium author despere videbatur, à filio etiamnum rei familiaris malè curatæ actus insanæ reus, omnium quæ antea conscripserat operum cultissimum iudicatum est. Et Isocrates (ut Oratores etiam huc admittamus; nam & id dicendi genus musicum est, & certis constat numeris) Panathenaiacam orationem, omnium quas antea scripsisset luculentissimam, post octogesimum vitæ annum elucubravit. Sic Pontanus & Uraniam & Meteorica, Syncerus Actius poemata pleraque, Aurelius Augurellus Chrysopeiam, & alii plerique ætate nostra bene literari viri eo suavius Cygneum hoc melos emodulati sunt, quo magis vis consensescere. Sic tu Musas affectaris, quæ falis & leporis plurimum præ se ferunt: deniq; omnia quæ ad eruditionem spectant, non ignaviter pervestigas. An vero Platonem dissimulare poterimus, quem animum circiter octogesimum agentem scribendo vita functum ajunt? Ut fabulosum minimè videatur, quod Socratem perhibent per quietem existimasse novellam se Cygni pullū inter genua tenere, qui plumis repente sumptis evolaverit in sublime, æthereaque omnem suavissimo clangore compleverit, postridieq; Platonem ab Aristone patre ei commendatum in institutionem: visq; statim puero dixisse Socratem ferunt, eam esse aviculam, cujus imago nocte proxima sibi per somnum fuerat obversata.

*Senium opere elegantiora. Auflor Dio. genus Laer. 1.3 in Platone vita.*

MUNICIPIBUS INJURIUS SUIS. CAP. III.

**S**ed, ut etiam attingamus Poëtarum fabulas, Cygnum ajunt hominem municipibus suis injuriam hieroglyphicè significare. Siquidem Olores in volucrum genere id habent peculiare, ut alter depascatur, atque inter se morsus convertant: unde illum crediderim Pindaro *Inbospitalem* appellatum: id quod nescio qua æmulatione præstantiæ, in Poëtis præcipuè, & nunc esse, & fuisse semper exploratissimum est. Nam ut ipsi ajunt: *Qui velit ingenio cedere, rursus erit.* Adde quod, Melitus Euboicus avem hanc ita conviciis plenam esse dicit, ut ea clamante, reliquæ aves quæ præsto sunt, conticescere cogantur.



*Ideoq; ab Hercule occisus.*

M m

ANIMI